



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

VIII. De Jubilæo, & varijs ipsum concernentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUÆSTIO VIII.

De Jubilæo, & varijs ipsum concernentibus.

Annus Jubilæus in Lege veteri, quis, & unde sic dictus?

91. **P**romeliori sequentium intelligentia est prænotandum, quòd olim in Lege veteri, seu Mosaica, Hebræorum populus clangentibus tubis excitabatur ad recolendum annum quinquagesimum ingressus Filiorum Israël in Terram promissionis; qui & *Jubilæus* dicebatur, à voce Hebræa *Jobel*, quæ buccinam significabat, ut vult *Lyranus in cap. 25. Levitic.* quamvis est apud *Navarrum Tom. 3. Commentar. de Jubilæo & Indulgentijs, notab. 1.* Et quidem in hoc anno quinquagesimo, qui Hebræis erat *Jubilæus*, sive Annus remissionis, debita gratis remittebantur, possessionesque ad pristinos dominos absque pretio revertabantur, ac præter nonnulla alia servi libertate donabantur; pro ut patet ex *Levit. cap. 25. Num. cap. ult. & alijs Sacræ Scripturæ locis.*

Annus Jubilæus in Ecclesia Catholica, quando celebraretur?

vocatur etiã *Annus Sanctus.*

In Anno sancto suspenduntur aliæ indulgentiæ.

92. Quia igitur Christus Dominus non venit solvere legem, sed spiritualiter adimplere; hinc ad similitudinem antiqui *Ritus*, utpote futurorum præfigurativi, in Ecclesia Catholica dudum jam altiori quadam ratione institutus fuit *Annus Jubilæus*, sive remissionis, & gaudij spiritualis, concedendo videlicet Fidelibus, Basilicas de Urbe devotè visitantibus, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam, seu indulgentiam: qua de causa annus ille per antonomasiam *Annus Sanctus* appellatur. Et quidem juxta morem antea jam in Ecclesia vigentem, de quo *Navarrus loc. cit. notab. 1. num. 11. & notab. 7. n. 4. Bonifacius VIII. in Extravag. Antiquorum. de Pœnitent. & remiss. inter communes*, ejusmodi Jubilæum concessit pro quolibet centesimo anno. Verùm ob brevitatem vitæ humanæ, atque ut quam plures tanti Theauri participes fieri mererentur, terminus iste per *Clementem VI. in primis* reductus fuit ad annum quinquagesimum, ut habetur in *Extravag. Unigenitus. eod. & postea per Paulum II. ad annum vigesimum quintum, Extravag. Quemadmodum eod. inter communes.*

93. Ut autem Christianæ Nationes ex omnibus Orbis partibus eò amplius in Fidei & Religionis unitate congregarentur, eodemque pietatis ac devotionis spiritu Basilicas de Urbe, quo maximo fieri possèt concursu, durante Jubilæo visitarent, & frequentarent: hinc eodem Anno Sancto quæcunque aliæ Indulgentiæ solent suspendi; idque per specialem Bullam desuper expeditam: cujus exemplar refert *Georgius Gobat Tract. 3. Quinarius, circa initium.*

94. Ve-

94. Verùm quia non omnes pro lucrando Jubilæo Romam personaliter accedere possunt : hinc Summi Pontifices pro sua pietate solent Jubilæum Anni Sancti extendere anno sequenti ad alios Episcopatus. Istud tamen non faciunt Motu proprio, sed duntaxat ad instantiam vel Nuntiorum Apostolicorum, vel Episcoporum pro suis respectivè Provincijs, aut Dioccesibus ferventissimè sollicitantium. Gobat *cit. Tract. 3. Quinarij, n. 489.*

95. Insuper extra Annum Sanctum confueverunt Summi Pontifices, tum post suam quisque Coronationem, tum quando Ecclesia Catholica gravibus necessitatibus atque angustijs premitur, concedere per universum Orbem Christianum Indulgentiam plenissimam, seu in forma Jubilæi : ita tamen, quod eo tempore non fiat suspensio cæterarum Indulgentiarum (cessat enim tunc allata n. 93. ratio hæc suspendendi, unde etiam nulla apponitur Bulla cæterarum Indulgentiarum suspensiva, prout fit in Anno Sancto) concedantur tamen facultates absolvendi à reservatis, & commutandi vota, prout ampliùs ex dicendis patebit. His prænotatis sit

96. CONCL. I. *Jubilæum* est Indulgentia plenaria à Summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, & præscripta pia opera peragentibus, unà cum concessione certarum facultatum in Brevis Apostolico expressarum. Ita in re communis. Et ratio est: tum quia omne Jubilæum est indulgentia plenaria, licet non econtra. Tum quia quoad effectum remissionis poenæ temporalis, non differt Jubilæum à cæteris indulgentijs plenarijs, cum hæc omnes in ritè dispositis conferant omnium veniam peccatorum, quoad culpam jam remissorum, ut dictum n. 15. differt tamen ab his quoad superadditas ipsi speciales gratias, seu facultates, in Brevis Apostolico expressas.

97. Et quidem ordinariè loquendo, atque extra Annum Sanctum, conceditur Jubilæum lucraturis, ac præscripta opera peragentibus, ut possint sibi eligere Confessarium à locorum Ordinarijs approbatum, qui habeat facultatem absolvendi eos pro Foro conscientie à quibusvis casibus reservatis, atque Censuris, etiam in Bulla Coenæ Domini contentis, & insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis perpetuæ exceptis) in alia pia opera commutandi. Aliquando tamen una, vel altera harum facultatum non conceditur, ut notat Gobat *cit. Tract. 3. Quinarij, n. 2.* sed id ex tenore Brevis Apostolici, Jubilæum indicentis, desumendum erit, sicut & quænam pia opera pro lucrando Jubilæo sint peragenda.

Jubilæum Anni Sancti extendi solet ad Dioceses id sollicitantes.

Indulgentia in forma Jubilæi, extra Annum S. qua ratione concedatur?

Jubilæum, quid?

Quæ facultates in Jubilæo concedantur?

H h h h 98. Et



Jura tempo-
re Jubilæi
præscriptio-
nalia, quæ?

98. Etenim in Anno Sancto, præter Confessionem Sacramentalem, & Communionem, sufficit certo dierum numero quatuor Urbis Ecclesias devotè visitare, ibique pias ad Deum precibus effundere, juxta formam præscriptam: quale quidem etiam accidere solet in extensione Anni sancti ad alias Dioeceses facta. Quòd si verò ad avertendas graves Ecclesiæ necessitates extraordinarium Jubilæum publicetur, solet communiter exigi, ut Fideles extra Urbem existentes primâ, vel secundâ hebdomadâ indicti Jubilæi, Ecclesiam, vel Ecclesias, ab Ordinarijs locorum assignandas visitent, ibique juxta præscriptam intentionem Deum exorent, ac feriâ quartâ, sextâ, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis jejunent, pariterque peccata sua confiteantur, & sacrâ Communionem reficiantur, & elemosinas pro arbitrio suo faciant: quamvis simul concedi soleat, ut si qui ex causa infirmitatis, vel alterius iusti impedimenti, unum, vel alterum prædictorum operum præstare nequiverint, id Confessarij in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare valeant; prout amplius liquet ex contextu Litterarum Apostolicarum Jubilæum indicentium.

In Anno
Sancto non
suspendun-
tur Indul-
gentiæ Al-
tarium Pri-
vilegiatorum.

99. CONCL. II. Quamvis Anno Sancto, ac Jubilæo in Urbe durante, suspendi soleant tantisper omnes & singulæ indulgentiæ, etiam perpetuæ, per quoscunque Romanos Pontifices concessæ, ut dictum *num. 93.* nihilominus tunc non intelliguntur suspendi Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro Defunctis. Ita Gavancus in *Addit. ad Manuale Episcoporum. §. Indulgentia*, & alij: atque ita fuisse declaratum tum ab Innocentio X. tum novissimè à Clemente X. refert Gobat *cit. Tract. 3. Quinarij, n. 45. & 48. in Append. I. Litt. a. & seqq.* quamvis in hac posteriori declaratione addatur, quòd illæ indulgentiæ suspendi habeantur, quas possunt sibi lucrari vivi, ut eas possint concedere animabus Purgatorij per modum suffragij.

An tunc su-
spendantur
Indulgentiæ
pro mortis
articulo?

100. Major difficultas est de indulgentijs concessis pro articulo mortis. Et quidem has etiam suspendi in Anno Sancto, censet Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 8. n. 2.* Tannerus, & quidam alij: nam Breve suspensivum Indulgentiarum loquitur indistinctè; imò Sixtus IV. in *Extravag. Quemadmodum de Penit. & remiss. inter communes*, expressè suspendit omnes indulgentias in vita, seu in mortis articulo concessas. Oppositum nihilominus, videlicet indulgentias pro mortis articulo tunc non censeri sus-
spensas,

spensas, tener Gavantus loc. cit. Lezana tom. 3. Summa. §. Jubilæum; n. 5. Bonacina disp. 6. de Indulgentiis, quest. 1. punct. 3. n. 2. & alij, qui referunt, quod ita Urbanus VIII. declaraverit, ejusque declaratio Romæ publicata fuerit à Vice-Regente Pœnitentiariæ: atque hoc ipsum declarasse Innocentium X. refert Gobat cit. n. 45. Accedit ratio: Tum quia respectu agonizantium cessat ratio suspendendi indulgentias, videlicet concursus ad Basilicas Urbis: tum quia Successores Pontifices in suis Bullis omittunt clausulam illam, seu in mortis articulo concessas, olim à Sixto IV. insertam; sicque aliud nunc velle videntur: Alioquin enim, si voluissent, idem expressissent, arg. c. Inter corporalia de Translat. Episcop.

101. Insuper, quod non sit mentis, & intentionis suæ, sub generali indulgentiarum suspensione comprehendere, neque in verbo Romani Pontificis comprehendere, neque in Indulgentia Ecclesiæ Portiunculæ prope Assisium die 2. Augusti concessam, declaravit Clemens VIII. Urbanus VIII. & Innocentius X. ut refert Lantusca in Theatro Regularium. §. Indulgentia in 6. declarationem dicti Innocentij X. per extensum allegans. Tacentur Indulgentiæ concessæ Basilicis & Ecclesiis Romanæ Urbis, & nonnullæ aliarum, quas pariter in Anno Sancto non suspendi, fufius ostendit Gobat cit. tract. 3. Quinarij, n. 49. & seqq.

102. Insuper, cum Sixtus IV. in cit. Extravag. Quemadmodum, pro Anno Sancto tantum suspendat Indulgentias plenarias, hinc non suspendi tunc Indulgentias partiales, tradunt plerique Doctores: Nam dictio illa, plenarias, firmat regulam in oppositum de partialibus. Et licet in recentioribus Bullis non amplius addatur ly, plenarias adhuc non suspendi tunc partiales Indulgentias, probabile censet Gobat loc. cit. n. 47. etsi hæc doctrina non careat difficultate, eò quod Pontifex indistinctè suspendat omnes & singulas indulgentias.

103. Illud certius est, ac probatur ex ratione proximè allata, quod, cum Pontifex in Anno Sancto solummodò suspendat indulgentias, quæ sunt concessæ à Romanis Pontificibus, idcirco non intelligantur suspensæ indulgentiæ ab inferioribus concessæ: ut sunt indulgentiæ 40. dierum, quas potest concedere Episcopus.

104. CONCL. III. Ad obtinendum Jubilæum requiritur ex parte lucrantis executio operum præscriptorum: & quamvis optandum sit, atque piè allaborandum, ut homo saltem præmissa verâ contritione sit in statu gratiæ toto illo tempore, quo singula

H h h h h 2

gula

Non suspenditur Indulgentia Ecclesiæ Portiunculæ concessa.

An suspendantur Indulgentiæ partiales?

Præsertim concessæ ab Episcopo?

Ad Jubilæum requiritur executio operum præscriptorum.

gula opera præstat; tamen probabilius est, sufficere ad consequendam indulgentiam Jubilæi, quòd ultimum opus perficiatur in statu gratiæ. Hæc conclusio sequitur ex dictis n. 33. & 34.

Et quidem perfecta.

105. Et quidem opera præscripta ita perfectè sunt adimplenda, ut si aliquod ipsorum vel penitus, vel saltem quo ad partem notabilem omittatur, siye id fiat ex ignorantia seu oblivione, siye etiam ex impotentia [seclusâ commutatione in aliud pium opus à Confessario factâ] non obtineatur quidquam de Indulgentia Jubilæi. S. Thomas 4. dist. 20. q. 3. Gobat cit. tract. 3. n. 61. & alij communiter. Siquidem Papa concedit hanc Indulgentiam sub conditione executionis operum præscriptorum, dando simul facultatem, ut eadem in casu iusti impedimenti possint per Confessarium in alia pietatis opera commutari: atqui non impleta conditione nemo consequitur id, quod sub conditione datur; quia deest animus concedentis.

Quid, si omissatur pars legis?

106. Additur notanter, *vel saltem quoad partem notabilem*. Quia, etsi res dubia sit, utrum prætermittens leuem partem operis injuncti consequatur fructum Indulgentiæ, v. g. Si quis sub die præscripti jejuniij aliquid modicum degustet, quod tamen non sufficit ad fractionem totalem jejuniij: vel si quis ex injuncto Rosario omittat unum vel alterum Ave Maria, & hujusmodi. Etsi, inquam, res sit non nihil dubia, tamen probabilius est, quod etiam hic parum pro nihilo reputetur, ac proinde omittens ejusmodi minimam partem non excidat fructu Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ: nam adhuc opus injunctum simpliciter impletur, v. g. servatur jejunium quoad Substantiam, recitatur Rosarium &c. Suarez disp. 52. de Indulgentiis sect. 5. n. 3. Bonacina cit. disp. 6. quest. 1. punct. 5. n. 51. & concordant dicta superius num. 59. & 60.

Opera debet quis exequi per seipsum?

107. Porro lucraturus Jubilæum debet opera præscripta per semetipsum exequi, ut puta jejunando (etiamsi necdum attingerit vigesimum secundum annum ætatis) Ecclesias visitando, &c. Siquidem Pontifex in Bulla Jubilæi exigit industriam personæ, siye actus personales lucraturi Jubilæi, veluti conditionem & dispositionem ipsius ad istud dignè & fructuosè consequendum.

Quid, si detur eleemosyna per famulum?

108. Nec obstat, quòd quis per famulum suum possit dare eleemosynam. Nam talis hoc ipso, quòd det de proprijs, adhuc censetur moraliter & propriè dare eleemosynam, licet interveniente ministerio sui famuli. Et nota, quòd in tali casu nihil præjudicetur domino quoad valorem Indulgentiæ, si famulus ille sit constitutus in peccato mortali: benè tamen, si famulus non det eleemo-

elemosynam pauperibus, sed eam sibi fraudulenter retineat; quia tunc reverà deficeret conditio datæ elemosynæ.

109. CONCL. IV. Insuper ad consecutionem Jubilæi requiritur, quòd opera præscripta peragantur tempore in Bulla præfixo. Ratio patet ex dictis; quia nimirum nemo lucratur Jubilæum, nisi servatis conditionibus, sub quibus conceditur. Quia igitur in Jubilæis, quæ ob gravem Ecclesiæ necessitatem extraordinariè concedi solent, communiter habetur inserta clausula illa, quòd opera præscripta peragi debeant primâ vel secundâ hebdomadâ, ab Ordinarijs Locorum, vel eorum Vicarijs &c. indicenda; item quòd Feriâ quartâ, sextâ & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunium servetur. Hinc

Opera illa peragenda tempore præfixo.

110. Infertur primò, quòd non lucretur Jubilæum, qui incipit opera præscripta facere ante tempus duarum hebdomadarum taliter ab Ordinario indictarum: quia deficit conditio debiti temporis. Lugo disp. 27. de Sacramento Penitentia, sect. 7. num. 127. Navarrus Consil. 1. de Constitut. n. 9. & alij.

Et non ante tempus duarum hebdomadarum.

111. Verùm in causa urgentis periculi (ut puta si quis læthali- ter decumbat) & accedente commutatione hujus conditionis in aliud pium opus per Confessarium factâ, posse Jubilæum Romæ jam publicatum obtineri alibi, censet Fillucius tract. 8. de Sacramentis, n. 267. citans pro se multos graves Doctores, sed tacito nomine: ejusque doctrinam securè in praxi observari ex causa, sentit Gobat cit. tract. 3. n. 64. Ratio est: quia in Bulla Jubilæorum extraordinariorum expressè concedi solet, quòd Confessarius ex causa legitimi impedimenti, ratione cujus pœnitentes opera pro lucrando Jubilæo præscripta, vel eorum aliquod præstare nequeunt, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, prout communiter loquuntur Bullæ Pontificiæ Jubilæum extraordinarium indicentes. Ergo post publicatum Romæ Jubilæum, pro toto Orbe Christiano concessum, hoc ipso Pontifex concedere, atque indulgere censetur, quòd Confessarius circa constitutos in articulo mortis possit uti facultate commutandi opera, & condiciones præscriptas, eaque pro lucrando Jubilæo injungere, quæ ipsi pœnitentes ante obitum suum adhuc efficere poterunt. Quod enim majus impedimentum, quàm instans mortis Articulus? Et quis credat, ab hac largissimâ facultate, circa justè impeditos Confessarijs expressè concessâ, voluisse Papam, pientissimum Patrem, & Pastorem omnium Fidelium, excludere solos agonizantes,

An læthali- ter decum- bens possit alibi lucrari Jubilæum Romæ pub- licatum?

H h h h 3 eò



èò quòd tempus Jubilæi in propria Diocesi deputatum necdum advenerit ?

Tria jejunia sunt statutis diebus peragenda,

112. Infertur ulterius, quòd ille non lucretur Jubilæum, qui alijs diebus, ac in Bulla præscribuntur, jejunat: ut puta, si quis loco jejunii Sabbatini jejunet Feriâ quintâ: nam talis non pergit jejunium tempore præscripto, sicque agit contra formam; nisi fortè ex causa rationabili interveniat commutatio hujus conditionis per Confessarium facta in aliud pietatis opus, juxta proximè dicta.

Commutatio operum præscriptorum tempore Jubilæi, quomodo fieri possit ?

113. Ubi breviter notandum, quòd, si tempore Jubilæi conceditur Confessarijs facultas commutandi opera præscripta, requiratur ad hoc rationabilis causa; nempe, quòd poenitentes præ infirmitate, paupertate, necessario laboritio, vel alio justo impedimento dicta opera, vel eorum aliquod præstare nequeant, vel saltem non absque gravi difficultate: requiritur enim, ac sufficit, vel physica, vel saltem moralis impotentia. Deinde commutatio illa debet fieri in alia opera æquivalentia: alioquin enim non foret mera commutatio, sed partialis dispensatio. Layman *c. 8. de Indulgentijs, num. 12.* Gobat *Tract. 3. Quinarij, num. 109.* citans alios. Attendendum tamen est circa hoc ad statum poenitentis, ejusque qualitates, & vires: nam commutatio præfata debet fieri, juxta prudens arbitrium Confessarij, in talia opera, *quæ ipsi poenitentes efficere poterunt*, prout loqui solent Bullæ Jubilæorum. Dicta quippe æqualitas operum non præcisè spectanda est ex ipsa specifica operis præstantia, seu poenalitate, sed ex fine per Pontificem in largitione Jubilæi intento. Unde ægrotis loco jejunii injungi poterit vel largitio copiosioris eleemosynæ, si possunt, vel aliquarum precum recitatio; sicut & pauperibus, nullam penitus eleemosynam dare valentibus, oratio, aut iterata Ecclesiarum visitatio, & hujusmodi. Atque ista operum commutatio non solum intra ipsam Confessionem (prout communiter fieri solet, ètque consuetius) sed etiam extra eam, potest per Confessarium à poenitentibus electum exerceri: dummodò fiat, saltem inchoativè, intra duas hebdomadas pro Jubilæo designatas; prout amplius tradit Gobat *cit. Tract. n. 110. & 111.* cum alijs.

Atque intra eandem hebdomadam,

114. Insuper non potitur Jubilæo, qui (cessante memoratâ rationabili commutatione) diebus cæteroquin debitis jejunat primâ hebdomadâ semel, & alia hebdomadâ bis: debent enim omnia tria jejunia diebus statutis intra unam eandem hebdomadam.

domadam peragi, prout requirunt Bullæ Pontificiæ, illis verbis: *Ac feriâ quartâ, sextâ, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunaverit.* Nam dictio illa alternativa, *alterius ex duabus*, satis indicat, tria illa jejunia debere conjungi, ac fieri intra unam eandemque hebdomadam: idque eò magis, quia Pontifex hac intentione jejunium indicit, ut caro maceretur; ad hunc autem finem plùs deseruiunt jejunia magis unita, quàm interpolata per integram hebdomadam. Lugo *cit. disp. 27. n. 105.* Gobat *tract. 3. Quinarij, n. 212.* cum alijs, contra Bonacinam *cit. puncto 5. n. 34.*

Cæterùm, an etiam reliqua opera, pro consequendo Jubileo præscripta, debeant fieri intra unam eandemque hebdomadam, non adeò conveniunt Doctores. Affirmat Lugo *loc. cit. n. 105.* Henriquez, Busenbaum, Sanctarelus, & alij, qui id probare conantur ex verbis Bullæ Jubilæi. Negat Bonacina *cit. punct. 5. n. 34.* Diana *part. 5. tract. 12. resol. 12.* & alij, quorum sententiam esse probabiliorē, eò quòd verba Bullæ Jubilæi hoc non convincant de alijs operibus præter tria jejunia, censet Gobat *loc. cit. num. 72.* quamvis prior sententia utique sit tutior, ac proin in præxi meritò tenenda, & consulenda.

115. CONCL. V. Opera præscripta tempore Jubilæi possunt impleri in diversis locis, ut puta visitando Ecclesias in loco domicilij, & alibi jejunando, confitendo &c. Ita Lugo, *ubi supra, n. 123.* Sannig *lib. 5. Decretal. Tit. de Panit. & remiss. c. 2. n. 16.* & alij. Ratio est: tum quia favor Jubilæi non est localis, sed personalis. Tum quia nullibi in Bullis requiritur identitas loci, sed duntaxat visitatio Ecclesiarum designatarum, ac devota præstatio operum præscriptorum.

116. Infertur proinde, quòd qui tempore promulgati Jubilæi cæpit aliqua opera præscripta perficere, v. g. visitando Ecclesias, possit in itinere reliqua opera peragere. Insuper, si quis à principio promulgati in sua patria Jubilæi non erat præsens, sed primum Feriâ quintâ advenerit, poterit is jejunio Feriæ quartæ alibi peracto, vel hoc ex justa causa in aliud pietatis opus per Confessarium commutato, reliqua opera in patria prosequi.

117. Quinimò si malit, poterit talis in itinere constitutus sequenti hebdomadâ jejunium præscriptum unâ cum cæteris operibus peragere; haud obstante, quòd tempus Jubilæi in sua patria jam effluerit. Ratio est: quia in Bulla Jubilæi facultas universalis conceditur navigantibus, aut iter agentibus, ut cum primùm ad

An etiam reliqua opera intra eandem hebdomadam fieri debeant?

Opera illa possunt fieri in diversis locis.

Idque explicatur.

Itinerantes post suum reditum possunt lucrari Jubilæum.

ad sua sese domicilia receperint, possint opera præscripta peragere, sicque Jubilæum lucrari: atque in hunc finem, ut omnium cum majori quiete, ac devotione perfici valeant, conceditur eisdem spatium duarum hebdomadarum non minus, ac cæteris.

Q U Æ S T I O IX.

De Facultate absolventi à reservatis tempore Jubilæi.

118. **P**RO majori intelligentia sequentium est notandū, quòd tempore Jubilæi præter Indulgentias plèarias, omnibus Fidelibus opera præscripta ritè peragentibus concessas, duplex communiter potestas respectu eorum concedi solet Confessarijs, quos ipsi ex approbatis ab Ordinarijs locorum elegerint. Prima est, quod hi possint eos pro ea vice, & in foro conscientie tantum, absolvere ab omnibus censuris, & peccatis, etiam reservatis tum à locorum Ordinarijs, tum à Summo Pontifice, ac etiam contentis in Bulla Cænæ Domini: dummodò non sint publicè denunciati, incidisse in aliquam sententiam, seu censuram excommunicationis, suspensionis, & interdicti; nam tales expressè in Bulla excipiuntur, nisi infra tempus celebrationis Jubilæi satisfecerint. Solet etiam interdum expressè excipi crimen hæresis, ut videre est in Jubilæo Innocentij X. anno 1648. die 11. Martij publicato, quod refert Gobat circa initium *Tractatus III. Quinarij.*

Et commu-
nandi vota.

119. Altera facultas, concessa Confessarijs, est, quòd possint quæcunque vota ipsorum (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare. Ubi nomine *Castitatis* intelligitur Castitas perpetua, & integra, ut in simili dictum est suprà *Tract. VI. Dist. 3. n. 45. & 46.* Non tamen solet concedi ulla facultas dispensandi super aliqua irregularitate quomodocunque contracta, prout amplius ex verbis Bullæ cujuslibet Jubilæi patere poterit; nam illa nonnunquam alterantur. His prænotatis, pro solutione præcipuorum dubiorum, circa materiam præsentis quæstionis occurrentium, sit

Jubilæum
non posse
bis obtine-
ri, est pro-
babilius.

120. CONCL. I. Probabilius est, quòd Jubilæum ad duas hebdomadas extensum non possit bis obtineri; ac proinde, quòd inuitu ejus absolutus à reservatis hebdomadâ priori, non possit denuò hebdomadâ sequenti reiteratis operibus absolvi à reservatis, in quæ noviter incidit. Ita Lugo *disp. 27. de Sacram. Pœnit. n. 221.* citans Suarez, & Sanchez, & alios. Filliucius *n. 261. alle-*